6.
34-8-F-5-46

LESSVS IN FVNERE Illustrissimi, & Reuerendissimi D. D. ANGELI ARCHIEPISCOPI GOZADINI


Episcopi Ciuitatis Hortanæ, & Castellanæ.

Habitus in suggesto Ecclesiæ Cathedralis
Ciuitatis Hortanæ

A FELICE PVPIO I.V.D. ET PROTONOT. APOST;
DE CIVITATE CASTELLANA.

Prid. nonas Aprilis M.DC. LIII.






Roncilione, Typis Aegidij Tosellij. 1660. *Sup. lic.*



Perillustri, & Adm. Excellenti D.

D. FVLVIO VILLANO I. V. D.

FELIX PVPIVS.





Nterijt Præsul, supremi redditi honores,
Et laudum preco Præsulis ipse fui.

Nam sic iusserunt ornati brachia pelle
Hortani templi me Prior, & Socij.

Angustum vetuit tempus me dicere plura,
Et calamo functa est munere lingua prior.

Dicta tua in patria, te Martis in Vrbe morante,
Nunc ad te veniunt, accipe, viue, vale.



Fuluius Villanus nobilis Hortanus, ac
99 97 72 104 4
Iuris vtriusque Doctor.
70 137 67

99	4
97	70
72	137
104	67
	650.

Psal. 36.

Lex Dei eius in corde ipsius, & non
35 18 50 21 41 85 23 37
supplantabuntur gressus eius.
192 98 50

35	23
18	37
50	192
21	98
41	50
85	
	650.



LESSVS IN FVNERE Illustrissimi, & Reuerendissimi D. D. ANGELI ARCHIEPISCOPI GOZADINI

Episcopi Ciuitatis Hortanæ, & Castellanæ.

QVIS huius Ecclesiæ vicem non doleat? Ecce Hortini Ciues putabant fore, vt Episcopo redeunti obuiám prodirent, & nunc eidem ex humanis ablato iusta persoluunt. Hæc vniuersa Ciuitas Antistiti suo felici de reditu gratulandi spem habebat, & modò eius interitu lacrymis conficiatur, oportet. Heu quàm dura vicissitudo! Tantus est huius Ecclesiæ dolor, vt nec filia patre, nec sponsa orbata sponso dolorem vnquam senserit acerbiorem. Et meritò quidem. Præsul enim, quem desideramus, eam vt filiám ornauit, & vt sponsam adamauit. Et ideo dicente Apostolo. Statutum est hominibus semel mori, & Propheta. Quis est homo, qui viuet, & non videbit mortem? Huic erat animus Ecclesiæ suum patrem, & sponsum suis in visceribus sub marmore iam tribus ab hinc annis pro viribus parato secum retinere vsque in illum diem, quo omnis caro resurget. Verùm altera Ecclesia, vbi suum ille diem obijt, illius corpore illustratur. Hæc tamen Hortana Ecclesia Artemisiæ non cedit. Illa viro suo condidit sepulchrum, in quo constat

ad Hebr. 9.27

Valer. Max. lib. 4. c. 6.

viri corpus non esse conditum, hæc Episcopo suo parauit sepulchrum, in quo Episcopi corpus desideratur. Illa in aere, hęc humi tumulũ construendum curauit, cognoscens tanta esse sui Antistitis merita, vt ad ea sustinenda non aeris leuitate, sed telluris firmitate, atque soliditate opus esset. Illa viri mortui cineres vino commistos ebibit, hæc Episcopum viuum in suorum Ciuium cordibus collocauit. Et quanquam illius exangue corpus non tenet in sepulchro, quemadmodum viuam tenebit memoriam, circa tamen hoc iacent virtutes mœrentes, & eiulantes, quas cernere si corporis oculis liceret nobis, quãto eis dolori, & iacturæ fuerit Episcopi obitus, cognosceremus. Iustitiam lancibus in humum delapsis, Prudentiam speculo obnubilato, Fortitudinem columna effracta, Temperantiam vase exinanito, Pacem oliua frondibus denudata, Misericordiam oleo effuso, Liberalitatem manibus clausis; Magnificentiam capite inclinato, Pietatem vultu auerso, Leges vocis organis priuatas, & veniam auditu carentem conspiceremus. Gemit hæc Ciuitas, veluti Turtur socio amisso frondes virides, & aquas puras, liquidasque fastidiens, nec aliquò potest oculos conijcere, vbi sui Præsulis monimenta non extent. Vbique amoris, quo suum ille gregem complectebatur, vestigia manent. Si hæc Ecclesia in humum deijcit oculos, ne sibi dolorem afferentia videat, videt se ipsam auctam, & ornatam. Non enim poterat non augere, & ornare ille Antistes, qui Augustum ab augendo dictum nisi nomine, saltem animi magnitudine referebat. Videt vias Sanctorum Martyrum corporibus hoc in templo maiori sub Altari honorificè conditis, quorum clientelæ hæc se Ciuitas addixit, honestatas, & decoratas. Ità singulis passibus in Episcopi sui gloriæ me-

Gl. in prohem Inst. in v. Augustus.

moriam

moriam redit, vt Romanus ille Ciuis, qui claudus regresſus è prælio, ex quo palmam retulerat, nullum gradum effingebat, qui ſuum illi triumphum in memoriam non reuocaret. Si paululum extollit oculos, eius conſpectum effugere non poſſunt nobiliſſimæ Præſulis agnationis inſignia huius templi parietibus, proh dolor, inter mortis imagines affixa. Hìc expreſſum videt Epiſcopi mentis, & fidei candorem, hìc amoris ignem, quo erga Deum flagrabat, purpureumque ſanguinem, ad quem fundendum pro Chriſto paratus erat, hìc vincula charitatis, in quibus gregem ſibi commiſſum, vt Doctor gentium Philippenſes habebat, hìc duodecim Apoſtolos tanquam aurum in fornace probatos à Domino, quorum virtutes ſectabatur, & fidei articulos, quos in ore, & corde vſque ad extremum ſpiritum retinuit. Et ſi Pontifices à ponte faciendo nomen acceperunt, & Pontificum nomine Epiſcopi quoque deſignantur, ſi ſua intuetur inſignia, in quibus pons cernitur expreſſus, illicò eius memoriæ occurrit Epiſcopus, qui fuit pons, per quem nos exules filij Euæ cęleſtem patriam verſus iter ſuſciperemus. Si libris adijcit oculos, vt aliquo perfruatur ſolatio, (illa enim ſunt vera humanæ vitæ ſolatia, quæ capiuntur ex libris) ſtatim occurrunt ſanctæ Synodi conſtitutiones commiſſæ typis, à multis optatæ, efflagitatæ, lectæ, laudatæ, ſeruatæ. Si ſuos intuetur Sacerdotes, vt aliquo modo perferre dolorem poſſit, hos inquam Sacerdotes dignos, qui ab omnibus ferantur in oculis, æterniſq; laudibus afficiantur, quos ipſe Epiſcopus, me audiente non ſemel, ſed iterum, atq; iterum commendauit, Canonicorum numerum aſpicit auctum, & ad viuendum neceſſaria ab ipſo Epiſcopo ſuppeditata. Si cubilia ſibi ſtatuit ante oculos, illicò in men-

ad Philipp. 1. 7.

Sap. 3. 6.

tem venit Episcopus, qui in lecto sæpe cubabat, cum podagræ maximis doloribus cruciaretur, quos æquissimo animo ferens, & suo fungi munere non desistens omnibus eximium patientiæ præbebat exemplum. Si spectat mensas, sal appositus in memoriam reducit Episcopum, qui fuit in numero eorum, quibus dictum est à Domino,
Matt. 5. 12. Vos estis sal terræ. Sal fuit Episcopus, dum omnia, quæ aggrediebatur, sapientiæ sale condiebat. Sal fuit, quo conditi fideles putrescere, & in crimina delabi prohibebantur. Et sicut nulla mensa sine sale benè paratur, ità Hortana Ecclesia nullam cogitationem aut rectam, aut iucundam existimat absq; sui sapientissimi Antistitis memoria. Si suum signat agrum oculis, surgunt montes, & cum montibus Episcopus, qui erat ille mons, supra
Matt. 5. 14. quem posita hęc Ciuitas abscondi non poterat, qui fortior, & firmior Atlante vnicum mundum sustinente, tot suis humeris mundos fulciebat, quot sunt huius Ciuitatis Ciues, eiusq; Oppidorum homines, quorum vnusqisque microcosmos appellatur. Sed vt cętera omittam, quæ petuntur ex humo, istę funeris faces, quæ per se non prius extinguuntur, quàm sit consumpta cera, nonne repręsentant Episcopum, qui antequam huius lucis vsuram amitteret, se omnibus ferè bonis alios muneraturus expoliauit? Si Cęlum suspicit, vbi Episcopi animam cęlesti municipio à Deo donatam credit, sese offerunt stellæ, & cum stellis Episcopus, qui fuit stellarum quàm similis. Illę ex oriente in occidentem feruntur nautis portum cupientibus obseruandæ, hic ex Naxo insula orientali ad nostram Hesperiam delatus, & à Gregorio X V. fel. record. Pont. Opt. Max. multis affectus honoribus, quos breuitatis causa pretereo, missus est ad hanc Ciuitatem Hortanam,

vt eo

vt eo duce nos, qui in huius vitæ mari nauigamus, Cęli portum aliquando tangeremus. Suspicientis oculis luna quoque, occurrit, & cum luna Episcopus, qui quasi luna plena in huius vitæ nocte errorum tenebras vigilando fugabat. Ante suspicientis oculos non potest non poni sol, & cum sole Episcopus, quo fulgebat hæc Ciuitas, vt sole tellus, qui suo in solio, quod ipso viuente nullum consortem patiebatur, solus sedebat, vt solus lucet sol, qui suos Populos visitabat, vt sol cælestia signa singulis annis reuisit, cuius lucifer fuit Naxus, cuius Hesperus Hesperia. Et si inter solem, & terrā interueniente lunā solis eclipsim generari perspicuum est, non quòd reuera lumine sol destituatur, sed quòd ità nobis apparet; Episcopus per mortis interpositionem aufertur quidem ab oculis huius Ciuitatis, & lumine priuatus videtur, sed illius anima coruscat in Cælo inter Angelos, cum quibus nunc desiderat prospicere in illum, quem super altare sacra faciens tangebat. Immò facie ad faciem videt, quem per speculum in ęnigmate videbat. Et meritò inter Angelos est receptus, qui nomine erat Angelus, & Angelorum imitator vitam viuebat Angelicam. Felices quondam populi, quibus Angelus Archiepiscopus Gozadinus pręerat, qui tanquam Angelus à Deo missus, vt Angeli vestigijs inhærentes, Angelo obedientes, Angelum diligentes, ab Angelo vitæ ducentes exemplum, Angelicam tandem vitam traducere disceremus. Sed tellus Angelo digna non erat. Cęlum Angelo debebatur. Et si idem erat cognomine Gozadinus, iure optimo nunc relictis humanis gazas diuinas possidet in Cęlo, vbi, si dum mortalem hanc vitam ducebat in terris, erat illa virga vigilans, quam vidit Ieremias, vt suis quibus prodesset, luposq; ab eis arceret,

1 Petr. 1. 12.

1. Cor. 13. 12.

Ieremi. 1. 11.


ceret, ac se bonum Pastorem prę staret, quippequi clarissimum genus ducebat ab ea Ciuitate, quę nomen traxit à bonitate, nunc quoque vita fruens immortali vigilabit, gregemque suum respiciens pro ipso Deum orabit. Sol oriens nostro Hemisphęrio lucem, occidens verò tenebras parit. Et Episcopus noster, dum ex altera ad hanc se referebat Ecclesiam, lætitiam afferebat; nunc autem ex hac vita discedens mœrorem tum ciuibus, tum ipsis lapidibus, ex quibus constant non solùm monasterium sanctimonialium, templumque Beatissimæ Virgini Lauretanæ ab ipsomet Episcopo dicatum, sed omnia huius Antiquissimæ Ciuitatis templa, domus, mœnia. Qui lapides si in homines conuerti possent, vt Deucalionis, & Pyrrhę temporibus id factum esse fabulati sunt Poetæ, & loquendi facultatem haberent, quot, & quàm mirabilia de Episcopo dicerent! Profectò quæ ego dicendo assequi non possum, assequerentur ij, qui duos, & triginta prope annos fuerunt testes Angeli Archiepiscopi Gozadini virtutum. Ego enim præ temporis angustia, vel potius ingenij mei tarditate tanti Præsulis meritis, & illorum cupiditati, qui me huc ascendere iusserunt, nulla dictione, quæ demorsum sapiat vnguem, satisfacio. In huius Cathedralis Ecclesiæ Choro, in quo vnusquisque mihi præstàt eloquentia, aut inter Ciues huius Illustrissimæ Ciuitatis me doctiores eligendus erat Orator, qui defunctum Præsulem dignis laudibus èxornaret. Atque vt ingenuè fatear, præ dolore, qui mihi orationis quoque ordinem perturbauit, obmutesco. Et quis talis Præsulis interitu non obmutescat? In sacris verò super Altari faciendis, quibus ego quanquam indignus ab Angelo Archiepiscopo Gozadino sum initiatus, licèt Cathedralis Ecclesiæ

Bononia.


Ouid. met. 1.

Archi-

Archipræsbyteratu, quem adeptus eram in patria, me abdicauerim, non obmutescam. Et sic nemo vestrum, Auditores præstantissimi, obmutescat. Immò clamemus omnes, & pro anima defuncti Pastoris oremus, Deumq; prececemur, vt quemadmodum in terris Angelum Archiepiscopum Gozadinum habuimus Pastorem, ità post huius vitæ cursum in Cælis vnà cum ipso Angelorum esca nutriamur, & gaudijs pascamur æternis.







ANAGRAMMA ARITHMETICVM.

Angelus Archiepiſcopus Gozadinus ortus in inſula

71 148 104 83 21 68

Naxo, & oriundus ab Vrbe Bononia Epiſcopus

46 23 109 3 42 62 111

Ciuitatis Hortanæ, & Caſtellanæ.

103 74 23 83

1174

Eccleſiaſt. 50.

Quaſi Stella matutina in medio nebulæ, & quaſi

61 61 89 21 42 54 23 61

luna plena in diebus ſuis lucet, & quaſi ſol

42 42 21 56 62 55 23 61 40

refulgens, ſic ille effulſit in templo Dei.

97 29 34 90 21 71 18

1174



